



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Annae Boleniae natales & mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

plura visa fuisset, quin & Iulius Pontifex à prædecessore suo impetratam dispensationem novâ Bullâ confirmaverat.

VI. Accidit eo tempore, ut ex Francia legati adessent, qui Mariam Walliæ Principem, Delphino antea promissam, Aurelianensi nunc Duci nuptû dari peccerent. Henricus, postquam Legatos magnifice accepisset, auctor fuit Volsæo, ut ipse Episcopo Tarbiensi, qui fuit Legatorum unus, negocium aperiret, non quidem Regis sed sui ipsius nomine, ut qui Francicam Anglicamque familias arctiore adhuc vinculo, per matrimonium Henrici cum sorore Regis Francisci, conglutinari summopere exoptaret. Volsæus cû Tarbiensi congressus, rem ita illi exponit privatim, tanquam si nullam, nisi ipsi soli, aperuisset. Episcopus à Volsæo circumventus, facileque persuasus, rem esse non ita magni negotii, in senatu Regis (ut fere Legati in iis, quæ ad Principum suorum utilitatem spectant, minime muti sunt) bellam orationem habet, & non quidem jam Valliæ Principissam petit, sed matrimonii inter Henricum & Margaritam Francicam mentionem proponit: utque matrimonium illud, quo jam rex tenebatur, illegitimum esse probaret, mille mendacia verbis suis admiscet. Rex, tanquam si ea res sibi nova, atque antehac inaudita ad aures accideret, attonito similis, ægre ferre se simulat, quod controversia super ea removeretur: tamen, ut conscientiam suam, majoribus, quam hoc erat, onerata crimini- bus, exoneraret, deliberandum amplius censer, certus nihilominus apud seipsum, progredi ulterius, si quos in consilium prius adhibuerat, idem adhuc sentirent.

Dum hæc in Anglia geruntur, non longè absuit Romæ excidium. Decreverat Carolus Burbonius crudelius eam tractare, quam olim fecerunt veteres Galli: & nisi Deus ejus conatibus obstitisset tum, quum sacra moenia tormentis quateret, flamma & sanguine totam replevisset. Nun- tiatur in Angliam, Papam Clementem VII. captivum teneri. Quâ arrepta occasione Cardinalis Volsæus Regem monet, ut triumphos suos au- geat, quumque scripto adversus Lutherum libro de septem Sacramentis, titulum Defensoris fidei sibi jam acquisiverit, gloriam istam nova gloria accumularet, Pontifice, quem Imperator captivum teneret, ex tam præsentis discrimine erepto. Rex, consilium istud sibi emolumento futurum ratus, sperabat, ita se posse suo sumptu Ro-

manum Pontificem sibi demereri, ut novum matrimonium contrahendi, uxoremque suam Cœnobio alicui includendi, facile veniam potestatemque sit obtenturus. Itaque sine mora Volsæum in Gallias cum trecentis aureorum millibus, & collegis duobus mittit. Volsæo mandata quædam occulta seorsim dat ad Regem Franciscum I. perferenda, de divortio Catharinæ, de matrimonio cum Regis sorore, & de filiis ejusdem duobus ex Cæsaris manu eripiendis. Lætus legatione Volsæus, mare trajicit. Sed dum Calæti agit, novas ab Henrico literas accipit, ut ne ullum de novo matrimonio cum Regis Galliarum sorore ineundo verbum faceret, sed tantum de reliquis articulis. Vehementer indignabatur Volsæus, videns prohibitum sibi esse, quod omnium maxime in votis habebat. Erat enim illa propositum, per novas illas nuptias Regem Christianissimum totum sibi obstringere atque obligare, ut eo deinde contra Imperatorem uteretur. Legationem nihilominus confecit: cujus is fuit successus, quem Rex volebat, quemadmodam infra à nobis dicetur.

HENRICVS VIII. PETIT A PONTIFICE:

judices qui de divortio cognoscant, qui dati mox revocantur. Volsæus gratia regis excidit.

CAPUT SECUNDUM.

ARGVMENTVM.

- I. *Annæ Bolenæ natales & mores.*
- II. *E. Francia revertens, singularem castitatem simulat.*
- III. *Quibus artibus Volsæus Cardinalis divortium inter Henricum & Catharinam apud Pontificem procurare conatus sit.*
- IV. *Novi à Pontifice judices qui de divortio Henrici regis cognoscant, constituuntur. Laurentius Campagus & Thomas Volsæus Cardinales.*
- V. *Campegii Cardinalis in Angliam profecti, cum Rege congressus & colloquium.*
- VI. *Volsæus sententiam pronunciat, non accepta prius à S. Sede Apostolica potestate.*

I. **D**um Volsæus consiliis suis in Franciam abripitur, Henricus in Anglia defixus, aliud nihil animo versat, nisi cœdium Reginæ, & Annæ Bolenæ amorē. In igne non tantum spectatur, quam

quam se magnus, sed & quid urat atque depascat. Eodē modo & in hac animi passione, & in his flammis, quæ postea totam Angliam incendio compleverunt, non modo considerandū est, quam violentæ sint, sed etiam quod sit earum pabulū, & cujus gratiā ardeant. Henricus nil nisi Bolenam deperit, & ex confusione inde in animo regis natā, ortæ sunt omnes in hoc Regno turbæ. Matrem habuit hæc femina Thomæ Boleni uxorem, sed patrē incertū. Hic Thomas Bolenus, eques, biēni legatione fūgebatur in Gallis. intra id tempus uxor ejus istam filiam enixa est. Ajunt, Regem Henricum VIII. quū feminam hanc adamaret, ut eā liberius frueretur virum sub specie honoris, in Franciam ablegasse, ipsumque ex ea hanc filiam genuisse, quam postmodum uxorem duxit. Thomas Bolenus in Angliam reversus, quum familiam auctam deprehenderet, uxorem in jus vocatam, apud Archiepiscopi Cantuariensis delegatos judices adulterii convincere, & deinde repudiare constitutum habebat. Illa Regi, quanto in periculo, nisi ille opem ferat, constituta sit, significat. Is Marchionem Dorcestriæ ad Thomam Bolenum prope mittit, cū iis mandatis, ut abstinere à lite, condonare uxori, eamque iterum in gratiam reciperet. Bolenus tamen mandatis regis non prius paruit, quam ab uxore audisset, se à Rege ipso corruptam, viroque absente pæne vi expugnatam, filiam istam non nisi ex Regis congressu habere. Ita tum uxoris deprecatione, tum Regis mandato, tum etiam Marchionis intercessione motus, cum uxore in gratiā rediit, Annamque deinceps filia loco educavit. Iam prius Thomas Bolenus aliam filiā ex conjuge sua genuerat, cui nomen Mariæ impositum fuit. In hac Rex, dum ad matrem comeat, oculos conjicit, eandemque deinde in aulam suam, immo & in adulterinum thalamum traducit. *Citius augentur vitia, quam minuuntur. & amor, ubi semel animum hominis occupavit, in coque imperio potitur, rationem foribus exclusam & audire & agnoscere recusat.* Fertur, Regem aliquando ab equite quodam ex gente Bolenorum, cui Briano nomen esset, quæsiuisse, quale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere? Cui Brianus, Omnino, inquit, tale, ô Rex, quale gallinam primum, deinde pullū ejus gallinacū comedere. Constabat Henrici aula ex genere hominum perditissimo, qui quasi palmā propositā, ita inter se decertare videbantur, quifnā esset flagitiosissimus. Inter hos, sinequitiam spectes, facile princeps exstitit hic, quem dixi, Bria-

nus, obque id vocabatur. *Inferni vicarius.* Henricus igitur, postquam filiam cum matre adulterando commiscuisset, ut nihil deesset ad cumulū omnis impietatis, & flagitii, quod excogitari potest, incestuosissimi, ad alteram quoque; filiā Annā Bolenz, animum adjecit: quæ credebatur ipsius Henrici filia esse, quemadmodum Thomæ Boleni uxor viro suo affirmaverat, Marchione Dorcestriæ, & aliis summæ dignitatis viris præsentibus.

Nescitur, quæ dementia Regē Angliæ cepit, ut ab ipsa deformitate fascinari se pateretur. Anna enim parum formosa fuit, corporis statura prociore, oblonga facie, capillo nigro, colore subflavo: nullas erat in vultu decoros deturpabat dens unus in superiore gingiva prominens: in dextrā manu sextus adnascebatur digitus, sub mento etiā succrescebat turgidū nescio quid cujus deformitatis regendæ causa colli & pectoris superiora, quæ ex more nuda gestabatur, ipsa operiebat. Nec deerat tamen, quod eam cōmendaret, quiddā majestatem præferens, & simul amabile: faceris sermo, saltandi, omnisque generis musicis instrumentis ludendi peritia. Ceterū imperiosa, morosa, gloriosa. Vix decimum quintum ætatis annum attingerat, quum ab eo, qui Thomæ Boleno à poculis fuit, deflorari se passa, deinceps cum eo, qui eidem à facellis fuit, libidinem exercere perrexit. Inde in Franciam mittitur, ubi regio sumptu, non longe à Briero, apud nobilem quendam virum educata, paulo post ad palatium regis Galliarum se contulit. Ibi tam impudice vixit, ut vulgo à Gallis appellaretur *Hæcnea*, seu *Equa Anglicana*, nihil Gallicarum matronarum gravitati simile habens. Quumque etiam ad regem salutandum progressa, ab eo aliquoties domi suæ familiariter inviseretur, cœpta est vocari ab Aulicis *Mula Regia*. Lutheranae sectæ addicta quum esset, non tamen à solennibus Missarum Catholico ritu peccatis abstinerebat.

II. In Angliam reversa, Regis, qui unius amore non diu detinebatur, sed concubinas subinde mutabat, vagum inconstantemque animum facile cognovit. Fere enim turpes amores tædium rei amatae post se trahunt. Igitur quum sui amore Regem captum animadverteret, ipsa sese duram atque inexorabilem adversus ejus blanditias ac pollicitationes exhibuit, castitatē simulans, à qua erat alienissima. Non enim ignorabat, ea, quæ parvi constant, etiam parvipendi, magisque juvare victorias difficili-